

Beamten. Wenn, was der Herzog nicht wünscht, irgend jemand sein Recht bei den von den Äbten aufgestellten Richtern nicht fand, erst dann sollte er an die herzoglichen Richtstellen sich wenden, wobei das Strafgeld aber immer dem Stifte zufließen sollte.<sup>1)</sup> Nachträglich gab Herzog Heinrich noch einige Äcker an der Oder, genannt die „Anländer“ (auch „Elende“, weil dieser Boden durch die Kriege nach 1300 einer Wüste glich) hinzu, auch nahm er den Ort Leubus von der polnischen Gerichtsbarkeit aus und gestattete dem Kloster, jährlich 40 Wagen zollfrei nach Pommern zu entsenden, um Salz und Häringe zu holen, was auch mittelst Schiffen geschehen konnte.

Die Gemahlin Heinrichs, die hl. Hedwig, die Stifterin des Zisterzienserinnenklosters Trebnitz, war den Leubusern außerordentlich gewogen. Die Legende erzählt, daß sie Brotreste aus diesem Kloster wie heilige Reliquien ansah und mit heiliger Ehrfurcht verzehrte; auch soll auf ihre Fürbitte in der Nähe von Leubus, im sog. „Hedwigspüschel“ eine reiche Wasserquelle hervorgesprudelt sein, und eine Marienstatue, die sie dem Kloster geschenkt, hat sich angeblich durch die Fürsprache dieser heiligen Fürstin durch lange Jahre als wundertätig bewiesen.

Als Wohltäter wurden in Leubus noch verehrt: Kasimir, Herzog von Oppeln, Primislaus, Herzog von Glogau, Boleslaus III. Herzog von Liegnitz und Brieg, Heinrich, des letzteren Sohn, ferner von den Breslauer Bischöfen Zirislaus I. und II., Laurentius, Johann III., Nanker, Wenzeslaus und Thomas II. Von den Päpsten hat Innozenz III. die Leubuser Stiftung bestätigt, Honorius III. befreite das Stift von Tributen an den päpstlichen Legaten, Gregor IX. erneuerte die Bestätigung der Leubuser Privilegien, Bonifaz VIII. bestätigte die Kirchenzehente des Stiftes, Urban V. erließ ihm eine Exemptionsbulle, Alexander VI. gab dem Abte Pontifikalien u. a. m.

(Fortsetzung folgt im nächsten Hefte.)

## Congregatio Hispano-Benedictina alias Sancti Benedicti Vallisoleti.

Auctore D. Fausto Curiel, O. S. B. Hispano-Casinensi P. O.

(Continuatio ad fasc. I—II. 1904, pg. 190—206.)

### IV.

Ex dictis apparet eos in summum errorem labi, qui putent, congregationem Vallisoletanam initium suum habuisse anno 1390, quando monasterium Sancti Benedicti conditum fuit, quippe neque

<sup>1)</sup> Privilegium ddo. 9. Sept. 1203.

Regio fundatori, neque Sahaguntinis monachis in mentem tunc venit novam aliquam congregationem monasticam instituere.

Falluntur etiam qui Ven. Patrem Garciam de Cisneros Abbatem Montserratensem tamquam primum hujus congregationis Conditorum salutant ut Arnoldus Wion<sup>1)</sup>, et Gabriel Bucelinus<sup>2)</sup>, uterque ordinis nostri scriptor emeritus; priusquam enim P. Cisneros Montemserratum adiret, congregatio exsistebat neque illam unquam ipse moderatus est; neque statuta, quae venerabilis hic Abbas Montserratensibus edidit, ab aliis monasteriis observata fuisse scimus; quamquam dubium non est quin valde profuisset sua doctrina universae congregationi in Comitibus Generalibus.<sup>3)</sup>

Etiam magis a veritate ii aberrant, qui Joannem quemdam hujus congregationis auctorem fuisse dicunt anno 1520.<sup>4)</sup> Fortasse dicere volebant anno 1420, quo invenitur quidam Prior, qui Joannes vocatur, et monasterium Vallisoletanum moderabatur, tamen, praeterquam quod, ut probavimus, congregatio Vallisoletana tunc nondum exsistebat, praedictus Joannes non fuit primus Superior illius Domus, sed Ven. Pater Antonius de Zelinos, cui Joannes hic successit anno 1399. — Neque intellegi potest alius Superior hujus nominis: „Joannes a Sto. Joanne, qui monasterium Montserratense reformavit et congregationis regimen obtinuit ab anno 1488 ad 1497, quia, licet eo tempore illa complementum suum acceperit, ante ipsum multis annis exstitit.“

Verumtamen omnibus his scriptoribus praedictis gravius erravit Vincentius Lafuente,<sup>5)</sup> qui suimet oblitus, postquam praecedentibus adhaeserat, deinde qua solet licentia, scribit congregationem hispano-benedictinam occasione reformationis Concilii Tridentini ortam fuisse! Lapsus calami (vel memoriae) tanto viro academico nihil certe honorificus... sed errare humanum est... — Liceat, proinde, nobis etiam nonnulla diplomata in medium proferre eorum Pontificum, qui ante Concilium Tridentinum Ecclesiae habenas tenere, ut magis ac magis hujus veritatis lumen clarescat atque vel ipsi caeci illud videre queant.

Julius II qui confirmationem congregationis Vallisoletanae iterum ab Alexandro VI factam, ratificavit atque expedire jussit, anno 1505, exstinxit congregationem Cluniacensem in Prioratu

<sup>1)</sup> Wion, Lignum Vitae, lib. V, cap. X.

<sup>2)</sup> Bucelinus, Annales Ordinis Sancti Benedicti, an. 1493 et alibi saepe, et in Chronologia, a. 1510.

<sup>3)</sup> Navarro, op. cit. pag. 78.

<sup>4)</sup> Ferraris, Prompta Bibliotheca, edit. Monach. Cassin. O. S. B. VI, 643, ubi allegat nostrum Asc. Tamburinium et Barbosam (Cf. edit. Bononiae 1758, VI, 311, edit. Hispana. Matriti 1795, VIII, 85.). Videtur eos errare fecisse noster Wion, qui scribit hanc Congregationem coepisse anno 1520. Etiam erravit Lafuente, op. cit. V, 56.

<sup>5)</sup> Lafuente, op. cit. V, 289.

Sancti Vincentii Salmanticensis juxta petitionem Regum Catholicorum „ac dilectorum filiorum universae congregationis monachorum Sancti Benedicti Vallisoleti nuncupatae“, et in eodem Prioratu „Collegium monachorum praefatae congregationis, in quo ad minus viginti monachi litterarum studio insistant, erigit et instituit.“<sup>1)</sup> Eodem anno alio diplomate, quod misit: „Dilecto filio Abbati monasterii Sancti Benedicti, oppidi Vallisoleti, ordinis ejusdem sancti, congregationis Vallisoleti nuncupatae concedit eidem collegio summam quingentorum ducatorum, quam retribuere debebant Monasteria reformanda.“<sup>2)</sup>

Audiamus nunc Leonem X ita scribentem anno 1515: „Dilecto filio moderno Abbati Generali et pro tempore existenti congregationis Vallisoleti, ordinis Sancti Benedicti, de observantia nuncupatae in Hispania. — Leo Papa X. — Dilecte fili, Salutem et Apostolicam Benedictionem! Religionis, sub qua tu et dilecti filii ceteri Abbates monasteriorum et Piores prioratum et monachi congregationis Vallisoleti ordinis sancti Benedicti de observantia nuncupatae, in Hispania, divinis estis obsequiis mancipati, probata sinceritas et eximiae devotionis affectus, quem ad nos et Romanam Ecclesiam gerere comprobamini, promerentur, ut tuis et illorum votis, eis praesertim, quae ex devotionis fervore prodire conspiciamus, quantum in Deo possumus, favorabiliter annuamus...“<sup>3)</sup> postea concedit monachis hujus congregationis tempore interdicti et cessatione a divinis, ut certis festivitibus possint, quibusdam servatis, missas et alia divina officia solemniter celebrare. Deinde anno 1521 simili privilegio concessa confirmavit et ad moniales congregationis ea extendit.<sup>4)</sup> Dignum est etiam, ut legatur aliud privilegium anni 1515 occasione unionis monasterii S. Vincentii Ovetensis, praedictae congregationi.<sup>5)</sup>

Clemens VII anno 1530 in privilegio super distributionibus et partitionibus decimarum, subsidiorum et aliorum onerum auctoritate apostolica impositorum, Vallisoletanis concessio, ita incipit: „Dilectis filiis Generali et aliis Abbatibus ac Prioribus et Praesidentibus, nec non Abbatissis et Priorissis monasteriorum, prioratum et aliorum regularium locorum, tam Monachorum quam monialium ordinis Sancti Benedicti, congregationis monasterii ejusdem Sancti Benedicti Vallisoleti...“ etc.<sup>6)</sup>

Tandem Paulus III anno 1535 confirmans privilegia et gratias hujus congregationis ait: „Cum sicut exponi nobis nuper

<sup>1)</sup> Privilegia praecipua 147—150.

<sup>2)</sup> Privilegia praecipua, pag. 152<sup>v</sup> — 154.

<sup>3)</sup> Ibidem, 162.

<sup>4)</sup> Ibidem, 163<sup>v</sup>.

<sup>5)</sup> Ibidem, 159<sup>v</sup>.

<sup>6)</sup> Privilegia praecipua, pag. 168<sup>v</sup>.

fecerunt dilecti filii modernus Abbas monasterii ordinis Sancti Benedicti de observantia nuncupati, oppidi Vallisoleti, Palentinae dioecesis, totius congregationis dicti ordinis in regnis Hispaniarum Reformator Generalis, ceterique Abbates, Priores et Praesidentes ejusdem ordinis, quamplura privilegia, immunitates, exemptiones, libertates, facultates, gratiae, concessionis et indulta eidem congregationi... concessa sint...<sup>1)</sup>

Sed denique, quod omnimode probat, quod intendimus: congregationem Vallisoletanam exstitisse ante Concilium Tridentinum et jam tunc maxime in Hispania floruisse, est pulcherrima epistula, quam scripsit idem Paulus III anno 1545 ad Abbatem Generalem hujus congregationis. Illam hic ex Jepesio nostro integre transcribimus, ut ipsam omnes, praesertim fratres nostri, legere possint et deinde quid de sententia scriptoris Lafuente, hac in quaestione sit sentiendum, videant et judicent.

„Dilecto filio Didaco, Abbati Generali congregationis Vallisoleta ordinis Sancti Benedicti. — Paulus Papa III.“

„Dilecte fili, salutem et apostolicam benedictionem! Gratissimum nobis fuit intellegere a fidedignis, istam tuam congregationem tum bonis moribus et vitae sanctitate, tum etiam sacrarum litterarum eruditione plurimum florere, et dilectum filium Antonium de Malvenda, ejusdem congregationis monachum, in variis coram nobis habitis disputationibus, docte et prudenter disserentem audivimus, quo fit, ut non parum vobis afficiamur, Deo gratias agentes, ipsumque orantes, ut vos sua gratia tueri semper dignetur. Te autem, fili, in ipso Deo orantes, ut congregationem istam tua prudentia, incepto sanctitatis vitae et sanae doctrinae curriculo dirigere, juvare, ac fovere omni conatu intendas, et aliquos ex tuis monachis ad id aptioribus, et inter illos (si tibi videbitur) ipsum Antonium Tridentum ad concilii celebrationem mittere velis, ut quod multorum relatione circum fertur, re ipsa appareat, vos in probitate et scientia et Sanctae Sedis Apostolicae devotione profecisse. Nos vero quacumque re cum ipso Deo poterimus, vobis numquam deerimus. Datum Romae apud Sanctum Petrum, sub annulo Piscatoris, die vigesima secunda Octobris, anno millesimo quingentesimo quadragesimo quarto — Pontificatus nostri anno undecimo.“<sup>2)</sup>

## V.

Non modo Hispani monachi reformatione non indigebant, ut nunc vidimus, sed digni judicati et inventi sunt tam a Romano Pontifice quam a Principibus Hispaniae ac Lusitaniae, ut reforma-

<sup>1)</sup> Ibidem pag. 170v.

<sup>2)</sup> Jepes, VI, 426.

tionem ac restaurationem disciplinae monasticae hujus regni aggredierentur, ut reapse factum est anno 1558 Pio V Pontifice et Sebastiano Lusitaniae Rege regnantibus<sup>1)</sup> Hocce opus primo commissum fuit PP. Petro de Chaves et Placido de Villalobos Montserratensibus, qui „spectatae Religionis et prudentiae monachi“ a Sto. Pio V appellantur.<sup>2)</sup> Deinde etiam in eodem opere perficiendo adlaborarunt Joannes de Xanones, pariter Montserratensis, et olim Sancti Ignatii de Loyola spiritualis moderator, postea magister novitiorum monasterii Vallisoletani<sup>3)</sup>, et Alphonsus de Zorrilla, Onniensis, tunc vero Hispalensis Abbas et tandem Vallisoletanus ac Congregationis supremus Rector.<sup>4)</sup> Hi omnes ab anno 1558 ad 1568 commissionem suam feliciter exsequentes fundamenta jecere novae congregationis Lusitanae, cujus primi Abbates Generales fuerunt praelaudati Patres Chaves et Villalobos, qui monachos suos misit in novum orbem anno 1581, ut in amplissimo Brasiliae territorio animarum curae intenderent easque Christo lucrifacerent.

Non defuit, qui haec occasione scripserit Lusitanos monachos majorem animarum zelum ostendisse quam Hispanos, fortasse quia illi in remotissimam mundi plagam transierunt. Neminem alium vidimus, qui apostolorum et missionariorum zelum metiretur ex multitudine ac distantia locorum, quae quisque percurret; aliud enim est animarum zelus, aliud effectus hujus zeli; alias ille denegandus esset omnibus anachoretis, monachis et monialibus et plurimis sanctis aliisque Dei famulis, qui numquam aut rarissime e cella egressi sunt neque ad infideles convertendos perrexerunt.

Verumtamen hic esset ante omnia probandum Hispanos monachos numquam ad praedicandum Evangelium ad extera remotaque loca profectos fuisse<sup>5)</sup>, neque ullam partem in fundatione monasteriorum Brasiliae habuisse; videmus enim ex coenobiis,

---

<sup>1)</sup> Histoire des Ordres monastiques VI, 246—48. Jepes IV, 246—48.

<sup>2)</sup> apud Gregorium XIII, Bullar. Cocquelines t. IV, P. 3, pag. 228.

<sup>3)</sup> Jepes, IV, 246.

<sup>4)</sup> Jepes, VI, 425. De eadem Lusitana Congregatione bene meruerunt etiam, inter alios, Alvarus de Salazar, aemilianensis, et Ven. Sebastianus de Villoslada, professor Vallisvenariae, et primus Abbas Sancti Martini Matritensis (Jepes, I, 281v; V, 62v.).

<sup>5)</sup> Adhuc sub iudice lis est, eritque fortasse in perpetuum, num aliqui ex sociis Bernardi Boil (cujus monachatum benedictinum suo loco, Deo dante vindicavimus) ex Vallisoletanis fuerint. Quia paulo post eorum aditum in Montem Serratam, ipsorum nomina in subscriptionibus documentorum amplius non apparent. Silentio praetereundum non est, praeter quinque monachos ordinarie residentes in prioratibus Mexicano et Peruviano plures alios ad episcopales Indiarum occidentalium cathedras assumptos fuisse. Neminem autem latet quam latum pateat spatium zelo apostolicorum virorum, maxime vero episcoporum, exercendo in illis regionibus.

quae ibi adhuc supersunt, duo Beatae Mariae de Montesserrato, cujus Sanctuarium utique Hispanum est, dicata fuisse.<sup>1)</sup>

Quamquam hispani monachi ad disseminandum evangelium nunquam exierunt, non ideo dicendum eos minorem habuisse animarum zelum, quia contrarium ab eis multimodis probatum est. Quis enim ignorat, quae quantaque ipsi effecerint pro fidei conservatione in Anglia, postquam nobilis haec natio, per patres nostros olim ad fidem conversa, iterum sub nova illa Jezabel ad schisma et haeresim deflexit? Ad hoc enim monasteria Hispana juventuti Anglicae aperta fuere, ut in eis bonis moribus ac scientiis apprime instructa, postea inde ad proelianda proelia Domini fortior atque strenuior egrederetur.<sup>2)</sup> Itaque Hispanis monachis magna ex parte debetur existentia hodierna congregationis Anglo Benedictinae, quam tantopere florere cernimus, atque nonnulla ejusdem primaeva coenobia, ex quibus tot viri apostolici prodire, qui pro fide catholica et obedientia Romano Pontifici debita, sanguinem suum fundere non dubitarunt.<sup>3)</sup>

Quinnimo necessarium non erat Hispanis monachis a suis monasteriis abesse ad procurandam aeternam proximorum salutem. Eorum enim Domus omnes fere in desertis locis conditae, processu temporis, accessione Christifidelium, quorum necessitatibus tam spiritualibus quam temporalibus subveniebant, oppidis atque urbibus circumdatae sunt Aliae vero jam ab antiquo in multas ecclesias et loca jurisdictionem spiritualement atque temporalem exercebant, illarumque cura, ut plurimum, ipsis monachis committebatur.<sup>4)</sup> Praeterea congregatio Vallisoletana per constitutiones suas statuerat, ut omnia monasteria praedicatores tam ordinarios quam extraordinarios (nempe in Capitulis Generalibus vel definitorio electos) semper paratos haberent, ut diebus Dominicis et aliis festis populo Christiano panis divini verbi numquam deesse

<sup>1)</sup> Vide Album Benedictinum anni 1880, pag. 202, 205.

<sup>2)</sup> Jepes, I. 445 seq. — Monasteria, in quibus efformabantur Missionarii pro Anglia erant: Vallisoletanum, Sahaguntinum, Montserratense, Compostelanum, Najariense et Onniense et duo collegia pro eis. Confer praeterea: Hist. des ordres monastiques VI. 278—86; Moroni Dizionario di erudizione storico-ecclesiastica t. XXXV, 142; Flanagan, History of the Church in England. II, 323 et Oliver (George) Collections. London 1857, pag. 473. — Album benedictinum 1880 etc.

<sup>3)</sup> Pluria meminit noster Bucelinus tam in Monologio benedictino, quam in Annalibus O. S. B. — Catalogum, incompletum tamen, exhibet laudatus Oliver, op. cit. cap. VI. of the Martyrs and principal Confessors of the English benedictine Congregation 497--502. Infra cap. III dabimus quotquot in Monasteriis hispanis professi ad nostram notitiam pervenerunt.

<sup>4)</sup> Praecipue jurisdictionem quasi episcopalem habentes erant: Sahagun, Montserrat, Najara, San Millan, Samos, atque Exlonza. (Praeter Jepes, Cf. Constitutiones Congregationis Vallisoletanae an. 1612, cap. X, n. 7, pag. 32v et item edition. 1706, lib. I, cap. X, n. 10, pag. 52.

posset; <sup>1)</sup> etiamque propter hoc votum inclusionis aliquantulum remissum fuerat, ut sacerdotes congregationis, quoties opus esset, ad concionandum exire valerent.

Porro in Asceteriis, quae in solitudine manserant, monachi otio non vacabant. Vt reliqua praetereamus, sufficit percurrere vel leviter historiam Montserratensem, ut videatur quot monachi et quantum insudare debuerint, ut tantae hominum multitudini ex omni lingua et natione, ibi quotannis ad sacram Beatae Mariae Virginis imaginem visitandam confluenti prospiceretur. <sup>2)</sup> Nos qui, hodiernis temporibus ibi viximus, testes sumus.

## VI.

Ad haec aliaque multa congregationis Vallisoletanae singulorumque monasteriorum munera tum majora tum minora, rite honesteque obeunda requirebatur profecto non qualicumque nec modica doctrina copia, quae comparari non poterat, nisi per plures annos studiis divinarum humanarumque litterarum constanter ferventerque vacabant, ut communiter ab eis factum fuisse compertum est.

Constans semper fuit in ordine monastico eventus, ut simul eum disciplinae restauratione studia quoque litterarum florere coeperint tam in congregationibus quam in monasteriis, quae res ita invicem sociantur, ut simul adesse simulque abesse in eis conspiciantur, quemadmodum eruditione qua solet invicte demonstrat clarissimus noster Mabillonius in pretioso „De studiis monasticis“ tractatu. <sup>3)</sup>

Itaque quamvis Vallisoletani monachi, ratione voti perpetuae inclusionis, quo ipsi tam stricte se obstrinxerant, dispensationem obtinuissent circa illa omnia, quae Benedictus XII pro ordine nostro de studiis statuerat, <sup>4)</sup> haec numquam oblivione tradita sunt ab eis, prout attestatur Laurentius de Ayala sic de ipsis loquens: „Ex antiquorum istorum Beatorum reliquiis habui monachos vivos, quos imitari potuissem ac debuissim; in monasticae vitae sanctitate, in linguarum cognitione, in Philosophiae notitia, in sacrae theologiae intelligentia, in verbi Dei excellenti praedicatione, in scientiarum omnium encyclopaedia, et tandem in divinae et humanae prudentiae praxi et usu cujusque respectu RR. Patres Rudericum de Vadillo, qui Siciliae obiit episcopus

<sup>1)</sup> Vide Constitutiones an. 1612, cap. XX, n. 1—14, pag. et ed. 1706, lib. I, cap. XXII, pag. 84 sq. lib. III, cap. XII, pg. 315.

<sup>2)</sup> Jeyes IV, 231 v, 234 sq. Crusellas, op. cit. pag. 81 seq. et alibi. — Hujus rei exemplum in medium profertur. P. Matthaei Oliverii, Galli, qui anno 1624 testatur se excepisse confessionem 5552 hominum ex Gallia et aliis exteris provinciis. Cf. Compendio historial pag.

<sup>3)</sup> Parte I, cap. VIII—X.

<sup>4)</sup> Privilegia praecipua pag. 98.

Cephalunen., Placidum de Salinas, qui me induit veste, Ferdinandum de Medina, Benedictum de Gaona, Christophorum de Agüero, Petrum de Ocampo, abbates monasterii nostri et reformatores generales, et Petrum de Ponte, pium et eruditum magistrum in academia Salmanticensi. Habui et commonachos doctissimos et religiosissimos patres Maurum de Salazar, magistrum etiam in praefata schola Alphonsum de Xuara, et Hieronymum Marthon, quorum ceteri vixerunt, ultimus vivit.<sup>1)</sup>

Quae de Vallisoletanis dicta sunt, extendi quoque possunt ad alia congregationis coenobia. Prae ceteris claruit Sahaguntinum, quod jam ab initio saeculi XV a Benedicto XIII obtinerat, ut omnibus et singulis in praefato monasterio in facultatibus theologiae, (quattuor librorum sententiarum, Juris Canonici et septem artium liberalium), seu in aliqua ipsarum legentibus seu studentibus praesentibus et posteris tempus lecturae et studii hujusmodi perinde computaretur, ac si in illis in loco in quo litterarum studium generale vigeret, legissent seu studuissent, dummodo ipsi gradus per eos assumendos in aliquo ex ipsis generalibus studiis in eisdem facultatibus reciperent.<sup>2)</sup> Postea vero Clemens VII anno 1530 Sahaguntinis multo generosior, concessit, „quod in collegio et studio hujusmodi per inibi legentes Baccalaureatus, Licenciaturae, Magisterii et Doctoratus gradus omnibus et singulis ad hoc, juxta ipsorum Lectorum vota idoneis, ac insignia graduum eorundem exhiberi, ac omnia et singula in similibus solita fieri; et quicumque inibi fuerint graduati, omnibus et singulis privilegiis facultatibus, praerogativis, autelationibus, insignibus, honoribus, praeeminentis et gratiis, quibus in universitate studii generalis Salmanticensis juxta illius statuta et consuetudines gradus et insignia hujusmodi recepissent, gaudere quomodolibet“ possent — necnon ut collegium et personae in eo degentes gauderent litteris conservatoriis monasterio et universae congregationi Vallisoletanae concessis, ac omnibus privilegiis et gratiis universitatibus Salmanticensi et complutensi indultis.<sup>3)</sup>

Annexio prioratus S. Vincentii Salmanticensis magnum praebuit universae Congregationi subsidium et progressum, quia tribuit ei locum ad studium generale maxime aptum, quo antea carebat. Hoc collegium initio parvum, postea valde crevit, asserens Jepsius noster illud suo tempore scholasticorum numero ibi praecipuum esse.<sup>4)</sup> Attamen necessitatibus congregationis ipsum solummodo subvenire non valuit, ideo, relictis ibidem theologiae can-

1) Navarro, op. cit. pag. 15.

2) Privilegia praecipua, pag. 220, quae legere oporteret iis, qui cum La-fuente asserunt hoc Monasterium tunc praeteriti temporis umbram non fuisse.

3) Privilegia praecipua pag. 223—225.

4) Jeps VII., 341v.

didatis de quorum profectu in studiis major spes habebatur, alia diversis in locis ac temporibus instituta fuere pro tota congregatione collegia: pro Philosophiae alumnis in monasteriis Samonensi, Celorio, Ribas del Sil atque Espinareda; pro Theologio vero in coenobiis Oveti et Poyo, et tandem pro candidatis ad magisterium vel praedicationem locus specialis selectus est, primum in Poyo, deinde in Exlonza. Insuper haec congregatio habebat collegium in monasterio Hirachense, cui ex pontificia regiaque concessione annexum erat studium generale cum issdem facultatibus, privilegiis et gratiis ceterarum regni universitatum;<sup>1)</sup> ipsumque, praeter congregationis monachos, frequentabat magna studiosorum copia ex Navarra Cantabria aliisque finitimis provinciis, sicut se vidisse testatur noster Jepesius, qui ibidem priora historiae suae volumina typis monasterii publici juris fecit.<sup>2)</sup>

Plurima emolumenta cum singulis monasteriis tum ipsi congregationi ex hujusmodi collegiis subsecuta sunt, qui cum multis coenobiis difficile admodum esset curriculo studiorum alumnorum suorum satisfacere,<sup>3)</sup> huic necessitati facillime occurrebant in hisce collegiis, ex quibus potissimum prodibant, quotquot deinde ad praedicationem vel magisterium destinabantur, et qui monasteriis praeficiendi erant, non enim quicumque monachi ad haec munera assumi poterant nisi postquam magisterium aut praedicationem magna cum laude pluribus annis exercuerint, sive illi etiam, qui aliunde eximia virtute aliisque dotibus eniterent, sed qui multo tempore in congregatione probati degissent.<sup>4)</sup> Hinc factum est, ut vix inveniatur domus, quae gaudere non possit se habuisse filios virtute omnique scientiarum genere conspicuos, et diversa officia in congregatione functos fuisse, ut infra suis locis videbitur.

Perpaucae ordinis nostri congregationes ex iis, quae a saeculo XV usque ad nostra tempora exortae sunt, exhibere poterunt elenchum ita ingentem monachorum qui sive sanctitate ac scientia emicuerunt sive ad dignitates ecclesiasticas assumpti sunt. Illud hic facile conficere possemus, nisi propositi nostri limites excederet; sed ne gratuito haec asserti videantur, liceat praecipuos saltem commemorare.<sup>5)</sup>

<sup>1)</sup> Cf. Constitutiones Congregationis, ed. 1612 pag. 169., edit. 1706, lib. III, cap. I, pag. 286. — Jepes meminit etiam Carrion (I, 281) et Obarenes (III 386) pro theologis.

<sup>2)</sup> Jepes. III, 387v—388.

<sup>3)</sup> Praeter Sahaguntinum, invenimus etiam Montserratense Asceterium habuisse pro suis alumnis peculiare Collegium, etsi mittere soleret magis idoneos ad collegia congregationis. — Jepes IV, 243. — Crusellas, op. cit. pag. 241 etc.

<sup>4)</sup> Consulantur Constitutiones hujus Congregationis quoties de electionibus Praelatorum pertractant.

<sup>5)</sup> Cum de viris piis loquimur, leges Ecclesiae nullo modo transgredi volumus, sed quae in auctoribus inveniuntur historiae retulimus.

Imprimis celebratur venerabilis Antonius de Zelinus, qui postquam coenobii Vallisoletani fundamenta jecit, Sahaguntinum quoque summa cum laude rexit et in utroque sanctitatis suae magnam reliquit famam.<sup>1)</sup> Neque minus praedicantur ejus in Vallisoletana Domo successores,<sup>2)</sup> quorum nomina infra capite quarto commemorantur. Quanta vero sanctitas in Vallisoletano monasterio floruerit, supra nobis P. Ayala rettulit, extolluntque passim scriptores; ideo non est, cur illud hic repetamus. Sed praetereundi non sunt duo alii monachi qui in fine saeculi XV florere: Didacus a Valladolid († 1494) et Alphonsus a Sto. Cipriano († 1499) uterque signis et virtutibus praeclarus et monasterii Montisserrati reformator, cum Joanne a Sto. Joanne, congregationis rectore, qui pariter in eodem monasterio sancto fine quievit anno 1497.<sup>3)</sup> Duo item alii eodem tempore memorantur in coenobio Sti. Isidori de Dueñas, alter conversus, Alphonsus de Maldonado, alter sacerdos, Franciscus de Castro primus ejusdem coenobii abbas, propter vitae conversationem „bonus“ appellatus.<sup>4)</sup>

Saeculo XVI in congregatione Vallisoletana, perinde ac in aliis Hispaniae diversorum ordinum familiis valde abundavit sanctitas, cujus rei plurima exempla afferre possemus. Pauca vero referamus. Anno 1510 e vita migrarunt duo praecipui congregationis abbates, Garcias de Cisneros, Montserratensis et Alphonsus de Grijota, Sahaguntinus, hic virtute ac prodigiis „Beatus“ dictus, ille sanctitate ac doctrina celeberrimus.<sup>5)</sup> Eis ad aeterna praemia, ut pie creditur, secutus est anno sequenti Ferdinandus de Orense, Sancti Joannis Burgensis Abbas, qui domum civitatemque suam virtutibusque signis in vita et morte illustravit.<sup>6)</sup> Clariorem adhuc hoc saeculo reddiderunt domum Montserratensem Franciscus de Vejar, qui brevi tempore explevit tempora multa, et in morte Deiparae Virginis visitationem obtinuit; Christophorus de Zamora, qui in hora exitus sui alios triginta ejusdem coenobii secuturos se praedixit, quod eodem anno (1526) adimpletum est: Maurus de Alfaro, ibidem novitiorum magister vitae innocentissimae, cui morienti angelos dulcissime decantare monachi assistentes audivisse testati sunt; et tandem Franciscus Leboroto, Italus, qui voce ex Crucifixo emissa ad religionem vocatus, post multos labores in ea pro animarum salute impensus, nocte Natalis Domini coelo

1) Jepes, III, 201v.

2) Navarro, op. cit. pag. 16.

3) Jepes, IV, 202, 244. Piae mortis P. Alphonsi memoratur P. Filgueira O. S. B. in Historia Ms Montisserrati; P. Joannis a Sto. Joanne idem auctor, et P. Anselmus a Sto. Benedicto, in Catalogo Benefactorum Montisserrati.

4) Jepes, IV, 202, 203.

5) Jepes, III, 199, 202; IV, 229 et seq. et Navarro qui, fuse descripsit vitam Cineros in edit. »Exercitatorii«. Salmant, 1712.

6) Jepes, VI, 424.

natus est.<sup>1)</sup> In solitudine ejusdem sacri montis extremum obiit diem (1592) Placidus de Salinas, qui plurium coenobiorum et ipsius congregationis moderator quondam fuerat.<sup>2)</sup> Praeterea decesserunt speciali sanctitatis fama in aliis monasteriis, Ven. Stephanus de Tejada, Abbas Stae Mariae de Sopedran [1547, 1558]<sup>3)</sup>; Lupus de Barrera, Samonensis, qui reformationem in suo coenobio vitae conversatione ac 39 annorum gubernio stabilivit [1563]<sup>4)</sup>; Ferdinandus Gonzalez, conversus Carrionensis, oratione abstinentia, caritate in pauperes, patientia insignis<sup>5)</sup> [c. 1590]; Ven. Sebastianus de Villoslada, monachus Vallisvenariae, abbasque Matritensis, regiae familiae confessarius, austeritate vitae, integritate, caritateque ac prophetico spiritu notissimus [1597]<sup>6)</sup>; Gregorius de Alfaro (Salmanticensis) operum venerabilis Blosii translator virtutumque ipsius aemulator [1590]<sup>7)</sup>, et tandem Joannes de Castañiza, doctrina, pietate, verbi Dei praedicatione aliisque dotibus celeberrimus [1599]<sup>8)</sup>.

Ab initio saeculi XVII Congregatio Vallisoletana tot tantorumque jam confessorum operibus candidata, purpureis coepit vestimentis nonnullorum ornari martyrum, qui pro fide catholica in Anglia sanguinem suum fuderunt, sicut Joannes Roberts al Marvinia, (Compostelanus) an. 1610 martyrio coronatus, Maurus Scott (Sahaguntinus) 1612, atque Bonifacius Kemp (Montserratenensis) anno 1644<sup>9)</sup>, etc. Plures etiam monachi ex hac vita migrarunt, qui reliquerunt specialem sanctitatis famam ut Alphonsus del Corral, Abbas Najarensis (1607) monachus autem Vallisoletanus, et congregationis olim moderator<sup>10)</sup>; Alphonsus Ortiz, monachus et Abbas Sopedranensis, miraculis clarus [1616]<sup>11)</sup>; Antonius de Alvarado, Vallisoletanus, Abbas vero Arlanzensis et Hirachensis, doctrina et vitae conversatione celebris, cujus in morte (1617) nonnulla signa apparuisse traduntur<sup>12)</sup>; Franciscus Rosell (1634) et Placidus Ferrer (1641), qui ab infantia in coenobio Montis-

1) Jepes, IV, 244, 245.

2) Jepes, IV, 243; VII, 344.

3) Arce, Hist. de Sopedran.

4) Jepes, III, 221.

5) Idem, VI, 32.

6) Jepes, V, 62. Casas, op. cit. pag. 152—53.

7) Castañiza in Vita Blosii, Perujo, Angulo. Diccionario de ciencias eclesasticas. 1883 Madrid, V, 192. Nicolas Antonius, »Bibliotheca Hispana« I, 414.

8) Jepes, V, 337, et Vita quae in editionibus hispanis praefigitur ejus »Combate espiritual«, »Pugna Spiritualis«.

9) Oliver, op. et loc. supra cit.

10) Jepes, VI, 153.

11) Hist. de Sopedran.

12) Jepes, I, 382. Perujo, Angulo, I, 393. Vita ejusdem in edit. Operum. Matrili 1617 jussu Antonii Perez, Abb. Gen. facta. Ejus corpus post aliquot annos inventum est adhuc incorruptum.

serratensi B. Mariae Virginis cultui dedicati, et deinde ibi monachi, uterque in hora suprema ab ipsa Deipara visitari meruit,<sup>1)</sup> Augustinus de Castro, in saeculo Franciscus, octavus potentissimus Comes de Lemos, dux etiam de Taurisano, atque regis vicarius Neapolitanus, etc. etc., qui humilis monachus in monasterio Sahaguntino factus, in sancto preposito usque ad mortam perseverans, promissam Christo sequentibus vitam aeternam ab anno 1637 possidere fiducialiter ac pie credimus<sup>2)</sup>; et tandem, ne longi simus, Alphonsus de San Vitores (monachus Burgensis) plurium monasteriorum abbas deinde congregationis moderator, et demum episcopus Zamorensis [† 1660]<sup>3)</sup> et Bernardus de Hontiveros (Silensis) pariter multorum Coenobiorum et Congregationis Rector, et postea episcopus Calagurritanus (1662) uterque doctrina et vitae integritate suo tempore nominatissimus.<sup>4)</sup>

Circa idem tempus clarere coepit Anselmus (al. Alphonsus) Gomez de la Torre, monachus Carrionensis, congregationis suae quoque Abbas Generalis et ornamentum, deinde episcopus Tudensis, qui, postquam dioecesim ei commissam summa cum laude 32 annis administravit, monasticam vitam iterum resumpsit et plenus meritis Cellanovae anno 1721 e vita migravit.<sup>5)</sup> Ipsum praecesserat Bartholomaeus Iglesias Abbas Sahagunus († 1717). Post eos decessit Ven. Josephus a Sto. Benedicto, al. a Lampadibus conversus sacrista Montiserratensis vitae sanctimonia et scriptis, quae reliquit, toto orbe celebratissimus.<sup>6)</sup> Fama sanctitatis praedicantur etiam Melchior Morales, unus ex praecipuis abbatibus Vallisvenariae [† 1731]<sup>7)</sup> Benedictus Argerich, abbas Montiserratensis, qui morti proximus, destructionem monasterii sui praedixit [1764]<sup>8)</sup> et denique Julianus Martinez, abbas Onniensis (1789) postea monachus congregationis Trappensis (1795) in cujus habitu huic luci oculos clausit anno 1802.

Quantum sanctitate floruerit congregatio Vallisoletana ex dictis patet, nunc vero demonstrabimus, quomodo etiam studiis claruerit, leviter tantum aliquarum disciplinarum classes tangentes, cetera fusius loco suo tractanda relinquentes. Hoc autem ostenderunt monachi hujus congregationis, non solum legentes sive

1) Crusellas, op. cit. pag. 250.

2) Alphonsus de San Vitores, »El Solde Occidente, Matriti 1645, t. I, pag. 482, et Moreri, Dicion. Supplement. ed. Paris 1749, t. I, pag. 248.

3) Lafuente, V, 556.

4) Berault-Bercastel (communius Henrion) Hist. univ. Ecc. edit. hisp. Matriti 1855, VIII, pag. 1146. — Perujo, Angulo, op. cit. V, 406.

5) Rodriguez Blanco, »Apuntes históricos... de Tuy« 1879, pag. 240—41.

6) Henrion, op. cit. VIII, pag. 1132. Crusellas, nimis jejune, p. 262. Ejus vita scripsit P. Benedictus Argerich O. S. S. Abbas Montserratensis.

7) Casas, op. cit. pag. 158.

8) Crusellas, op. cit. 430.

docentes tam in ejus collegiis et academiis quam in aliis regni universitatibus, maxime in Salmanticensi, sed potissimum multigenis scriptis posteritati transmissis.

In primis, ut a nobiliori studio incipiamus, super Sacram scripturam nobis ingenii sui monumenta reliquit Franciscus Ruiz (Sahaguntinus) qui tradidit „regulas CCCXXXIII intelligendi sacras scripturas ex mente sanctorum Patrum cum Graecorum, tum Latinorum“, quas brevibus explanationibus illustravit: 1) Hieronymus Lauretus (Montisserratensis) elaboravit magnae molis opus „Silvam allegoariarum sacrae scripturae mysticos ejus sensus et magna ex parte litterales complectens“ aliaque similis argumenti non spernenda; 2) Leander a Sto. Martino (Compostellanus) „Sacram bibliam cum glossa interlineari“ sex vol. Duaci anno 1623 edidit, atque „Conciliationem locorum communium totius scripturae“ elucubravit. 3) Petrus Marcilla (item Compostellanus) „Paraphrasim in textum editioni Vulgatae in Pentateuchum“ dedit, 4) et Franciscus de Lemos (Carrionensis) Threnos Jeremiae commentariis illustravit, 5) Franciscus Sancher (Montisserratensis) omnes fere Veteris Testamenti libros explanavit, Dictionarium hebraicum et Concordantiam Vulgatae Editionis et Hebraici textus concinnavit. 6) Hieronymus de Epila (Sti. Isidori de Dueñas) linguae latinae, graecae atque hebraicae peritissimus, Vocabularium harum linguarum composuit. De sacris litteris bene meruerunt etiam Gregorius Quintanilla (Sahaguntinus) hebraicae linguae Salmanticae professor, opere „Tabernaculum foederis“ inscripto 7) atque Josephus de Armesto (Abbas Matritensis) Dictionario Sacrae Bibliae.

In studiis theologicis ac philosophicis prae ceteris excellerunt Maurus de Salazar (Vallisoletanus) Salmanticensis collegii rector, qui per multos annos legit atque varios tractatus super primam secundae Sti. Thomae dictavit, quos laudat Jepes, 8) et Antonius Percz (Silensis), qui cum praecedenti primus ex Congregatione Academicos gradus Salmanticae suscepit, et postea illustre nomen sibi comparavit opere, cui „Pentateuchum fidei“ titulum inscripsit, ubi de ecclesia, de conciliis de scriptura sacra, de traditionibus sacris atque de Romano Pontifice totidem libris pertractat. 9) In eadem Accademia Doctorem Angelicum

1) Jepes, VII, 342. Nicolas Ant. op. cit. I, 359.

2) Jepes, III, 330, IV, 24. Nic. Ant. Biblioth. I, 445.

3) Oliver. op. cit. 518,

4) Nic. Ant. Biblioth. II, 200.

5) Nic. Ant. Biblioth. I, 333.

6) Crusellas, p. 259. Plaine O. S. B., Studien 1884, p. 465.

7) Jepes, IV, 202.

8) Vide Approbat. operis »Studiorum monasticorum« Mabillonii, edit. hisp. Matriti 1715, et 1779. — Jepes, VII, 344.

9) Jepes, ibid. — Nicol. Ant. Biblioth., I, 117—18.

explanando claruit Josephus de la Cerda (Matritensis) sacrae theologiae magister, qui „doctrina multa et varia, ingenioque perspicacissimo“ scripsit de Beata Maria Virgine De Verbo Incarnato atque de attributis Dei commentaria.<sup>1)</sup> Aquinatem Doctorem egregie pariter Salmanticae interpretatus est Didacus de Silva Pacheco (Burgensis) „doctrinae theologiae, perspicacis ingenii et religiosarum virtutum aestimatione“ ornatus.<sup>2)</sup> Ejusdem collegii et academiae clarissima lumina fuere Andreas de la Moneda (item Burgensis), qui ibidem commentaria in Sanctum Anselmum exaravit, postquam in Hirachensi rector Metaphysicae quattuor volumina adidit,<sup>3)</sup> cujus vestigia insecutus est atque superavit Josephus Sanz de Aguirre (Aemilianensis) Theologia Sancti Anselmi, Commentariis in Aristotelem, aliisque pluribus operibus editis toto orbe celebratissimus.<sup>4)</sup> Item ibidem Magisterium exercebant Joannes Ba Lardito (Matritensis) qui sanctum Anselmum quoque commentatus est atque duobus aliis vol. celebrem Bullam „Vnigenitus“ propugnavit; et Emmanuel Navarro (Compostellanus), cujus exstant Opera De Trinitate, De Angelis, et De peccatis ac virtutibus, quibus post Aguirre fortasse primum locum obtinuit.

Theologiam moralem atque jus canonicum etiam non pauci monachi excoluere. Bernandus de Hontiveros (Silensis) supra laudatus, „Lacrymae militantis Ecclesiae“ opere laxitatem casistarum sui temporis luxit et damnavit.<sup>5)</sup> Fulgentius de Oviedo (Vallisoletanus) rempublicam regularem atque monasticam ordinavit, qua magnam apud sodales suos aestimationem adquisivit.<sup>6)</sup> Anselmus Gomez (Compostellanus) Thesaurum scientiae Moralis atque examen confessoriorum posteris reliquit — de quibus bene meruit etiam Anselmus Petite (Abbas Aemilianensis) opere „Conducta de Confessores“, quod in Hispanam linguam transtulit.<sup>7)</sup> Inter omnes vero ingenio et scriptis emicuit Petrus de Murga (item Aemilianensis), qui plura volumina, cum De Disquisitionibus Moralibus, tum de Quaestionibus Juris Ecclesiastici pervulgavit.<sup>8)</sup> Denique Mathias Villañuno praeclarum nomen adeptus est „Com-

1) Nic. Ant. Bibl. I, 116.

2) Ibidem, II, 321.

3) Ibidem, 316.

4) Perujo-Angulo, I, 266. — Moreri, Dictionnaire hist. Paris, 1732, I, 178, Moroni, Diconario, Venezia 1840, I, 161. — Feller, Biographie universelle, Paris 1847, I, 81. — Henrion, op. cit. VIII, 1146.

5) Henrion, ibid.

6) Nicolas Ant. Biblioth., I, 386, et Benedictus Vria O. S. B. in opere »Instrucion« etc. Matriti 1785, saepissime.

7) Matrit, 1790, 1817.

8) Catalogus Operum ejus invenitur in] tract. »De beneficiis Ecclesiasticis« Lugd. 1684 fol.

pendio Conciliorum Hispaniae seu maximae Collectionis, quam tantis laboribus Cardinalis noster Aguirre ordinaverat.<sup>1)</sup>

Historia tam ecclesiastica et monastica quam civilis plurimos inter Vallisoletanos monachos habuit cultores. Omnium celeberrimus fuit Prudentius de Sandoval (Najarensis) regius chronographus, qui multis voluminibus de ecclesia, ordine benedictino, Hispanoque regno praeclare meruit.<sup>2)</sup> Aemulum atque sectatorem habuit Antonium de Jeyes, saepius laudatum, cujus nomen satis est ab omnibus cognitum nec indiget, ut ei quidquam hic addamus. Post eos in monasterio Caradignae enituerunt Joannes de Arévalo, Ludovicus Alvarez atque Franciscus Berganza; hic magis notus, nomen suum posteritati transmisit opere antiquitatum Hispanarum; quas etiam Josephus Perez (Sahaguntinus) et Licinianus Saez (Silensis) scriptis suis valde illustrarunt.

Postremo, quia nimis longum fastidiorumque esset singulas disciplinas percurrere, ut concludamus, omnigena scientia saeculum XVIII impleverunt Benedictus Gieronymus Feijóo (Samonensis) ejusque discipulus Martinus Sarmiento (Matritensis) uterque congregationis et regni decus et ornamentum, in quorum laudibus non est, cur tempus teramus, cum alii plurimi sint, qui hoc satis pleneque perfecerint.<sup>3)</sup>

Ex dictis nemo iam mirabitur, quod plurimi congregationis Hispano-Benedictinae monachi ad primas ecclesiae dignitates pervenerunt. Eorum numerum inquisivimus invenimusque duos S. R. E. Cardinales,<sup>4)</sup> duodecim archiepiscopos<sup>5)</sup> et plusquam quinquaginta diversarum sedium episcopos,<sup>6)</sup> qui ex laudata

<sup>1)</sup> Henrion, VIII, 1140. — Lafaente, VI, 132.

<sup>2)</sup> Jeyes, IV, 203v; VI, 156v et alibi saepissime. Nic. Ant. Biblioth. II, 206.

<sup>3)</sup> Perujo, IV, 498—500; IX, 334; Feller, III, 495; VIII, 451.

<sup>4)</sup> Josephus de Saur de Aguirre (Aemilianensis) Presb. Card. tit. Stae. Sabinae, creatus ab Innocentio XI die 2. Septembris 1686, † Romae 19. Augusti 1699. — Benedictus Sala (Montserratensis), Episcopus Barcinonae, Presb. Card. Sti. Clementis, creatus a Clemente XI, 30 Jan. 1713, † Romae 2. Julii 1715.

<sup>5)</sup> Joannes de Pedrosa, Brundusinus; Facundus de Torres St. Dominicanus, et Franciscus de Borja, Charcasensis (ex Monasterio Sahaguntino); Emmanuel Espinosa, Tarraconensis; Laurentius Nieto, Arborensis; et Enneco Royo, Turritanus (ex Montserratato); Antonius Perez, Tarraconensis (ex Silos); Joannes de Castro, Tarentinus (ex Salamantica); Hieronymus de Velasco, Algharensis, et Joseph de Lanciego, Mexicanus (ex Najara), Veremundus Arias, Valentinus (ex Corias) et Balthasar de Figueroa, Sti. Jacobi de Cuba. (Hunc alii recensent inter Cistercienses.)

<sup>6)</sup> Rodericus de Vadillo, Cephaludensis; Joannes del Valle, Guadalaxarensis, et Maurus de Tobar, Venezolanus (ex Vallisoletto); Joannes de Vaca, Panamanus; Alphonsus de Aguayo, tit. Caesariensis et Petrus Nuñez Pernia, Cauriensis (ex Sahagun.); Benedictus Baltodano, Nicaraguanus (ex Legione); Placidus Pacheco, Placentinus (ex Salmantica); Anselmus de la Torre, Tudensis (ex Carrione); Maurus Villaroel, Jacensis, et Anselmus Rodriguez Almeriensis (ex Lorenzana); Antonius Sarmiento, Mindoniensis; Anselmus de la Peña, Agrigentinus; Gaspar Cardoso, Potentinus; Alphonsus Garcia, tit. Constantin.; Christo-

congregatione prodierunt, atque ordinem nostrum et sanctam ecclesiam multimodis ornarunt.

## VII.

Floruit ergo congregatio Hispano-Benedictina plus trecentis annis eo splendore, quo modo ostendimus, in cujus culmine initio saeculi XVIII inveniebatur. Anno 1749 Benedictus XIV eam in quattuor provincias divisit, quae quinquaginta monasteria complectebantur, praeter alia quinque monialium abbati et capitulo generali immediate subjecta.<sup>1)</sup>

Haec tamen rerum condicio non diu mansit. Etenim paulo post pestiferae Gallorum pseudo-philosophorum doctrinae, Pyrenaeorum repagula perfringentes, totam Hispaniam velut aquarum diluvium inundarunt, atque praevalente iniquitate, bellum ecclesiae ac ordinibus religiosis indictum est. Societate Jesu immaniter

---

phorus de Aresti, Paraguayanus, et Paulus Colmenares, Illerdensis (ex Samos)-Antonius Sotomayor, Samandriens.(?) et Benedictus Vria, Civitatis (ex Cella nova); Gregorius Parcerio, Derthusensis; Petrus Magaña, Celsonensis; Didacus de Hevia, Antequeranus; Joseph Benedictus Serra, tit. Dauliensis et Rudesindus Salvado, tit. Adranensis (ex Compostella); Alphonsus de Vinces, Canariensis; Alphonsus de San Vitores, Zamorensis; Didacus de Silva, Asturicensis, Andreas de la Moneda Almeriensis, et Maurus de Larreategui, Guatemalensis (ex Burgos); Vincentius Horeos, Oxomensis (ex Arlanza); Bernardus de Hontiveros, Calagurritanus; Joannes Vitores de Velasco, Truxillensis, et Dominicus Moreno, Galditanus (ex Silos); Placidus de Tosantos, Zamorensis; Benedictus de Salazar, Barcionensis et Didacus de Echevarria, Segoviensis (ex Sto. Aemiliano); Josephus Barnuevo, Oxomensis (ex Valvanera); Prudentius Sandoval, Pampilonensis (ex Najara); Angelus Benito, auxil. Burgensis, (ex Oña); Emmanuel Ximener Perez, Portoricensis (ex Hirache); Benedictus de Tocco, Illerdensis, et Simon Guardiola, Vrgellensis (ex Montserrat); Benedictus Panyelles, Mayoricensis (ex Guixols); Sebastianus Obregon, in Africa (ex Sopetran); Josephus de la Cerda, Pacensis (ex Sto. Martino Matrit.); Ildephonsus Infante, Nivariensis, seu S. Christophori de la Laguna (ex Hispali) cui videtur accensendus Petrus de los Rios Julatanus, seu Emeritensis in America; Benedictus Morin, Giennensis (Abb. Salmaticae). Huic Congregationi fortasse pertinent sequentes benedictini, quorum professionis locum adhuc non invenimus, Ludovicus de Pina, Jucatanus, Emmanuel de Quiros, Antequeranus et Benedictus de Ribas, Portoricensis. Praeterea decessere jam electi Episcopi, Antonius de Prado (Sahaguntinus) non dicitur Sedes; et Martinus de Riaño (Burgensis) pro Sede Legionensi in Hispania. Plures adhuc fuere qui Episcopalem dignitatem sibi oblatam omnino recusarunt.

Vide Bonifacii Gams, O. S. B., »Seriem Episcoporum« Ratisbonnae 1873, 4<sup>o</sup>. — Hernaez, S. J., »Coleccion de Bulas« etc. de Indias, Bruxellis 1879. 2 voll. 4<sup>o</sup>, et Lafuente, Op. cit. in App. tom. V et VI.

<sup>1)</sup> Haec erat divisio: 1. Provincia Gallaica, cujus Monasteria erant: Compostella, Celanova, Samos, Ribas del Sil, Poyo, Lerez Tenorio, Lorenzana et Montforte. — 2. Provincia de Campos: Valladolid, Sahagun, Carrion, Leon, Exlonza, Espinareda, Montes, Salamanca, Zamora, Dueñas, Buesa, Medina, Frómista et San Mancio. — 3. Provincia de Rioja: San Millan, Nájera, Valvanera, Hirache, Oña, Burgos, Silos, Cardeña, Arlanza, el Espino, Obarenes, Sto. Toribio et Piasca. — 4. Provincia de Indiferentes: St. Martin et Montserrat Matriti, Sopetran, Huete, Sevilla, Montserrat Cata, Guixols, Bages, Corias, Obona, Corneliana, Oviedo, Villanueva et Zelorio.

perfideque a regno expulsa, ceteri ordines paulatim ad magnas augustias redacti sunt. Praeterea tum temporum perturbatione, tum opinandi licentia illud etiam factum est, ut in ordines regulares, quamvis in iis plurimi non minus virtute quam doctrina spectabiles viri invenirentur, qui spiritum et leges sanctissimorum suorum fundatorum servabant, abusus irrepserint, ad quos evellendos atque eradicandos efficaciora remedia adhibenda esse cognovit Pius VII, qui hoc munus commisit Cardinali Ludovico de Borbon, archiepiscopo Tolletano anno 1804;<sup>1)</sup> hic vero iniquitate ac injuria temporum vix aliquid momenti facere valuit.

Profecto postquam Galli ineunte anno 1808 in Hispaniam dolose invaserunt, bellum crudele religioni non minus quam patriae inlatum est. Itaque Josepho Napoleone in sede regni intruso, eodem anno monasteria ad tertiam partem reduxit, admissionem novitiorum prohibuit, illis qui habitum jam induerant, exire jussit, et religiosis sacerdotibus habitum dimittere auctoritate sua, concessit. Die vero 18 Augusti 1809 omnia regni monasteria suppressit, eorumque bona nationi adjudicavit.<sup>2)</sup>

Josepho ejusque fratre devictis et ex Hispania ejectis, religiosi ad monasteria sua redire potuerunt, non tamen omnes neque ad omnia, quia nonnulla, durante bello penitus destructa erant. Ceterum virus doctrinae, quam cum armis Galli attulerant, in regni procuratores effusum gravissimum liberalismi morbum in eisdem produxit, unde nullam amplius libertatem nec quietem religiosis ordinibus concessere. Etenim anno 1813 ipsi, sua etiam auctoritate, omnia monasteria, quae minus duodecim religiosos habuerunt, suppresserunt, jam destructa reaedificari vetuerunt, et novitiorum admissionem omnibus interdixerunt.<sup>3)</sup> Anno 1818 amplius progressi, postquam iterum prohibuerunt admissionem novitiorum ordinibus, qui nullius publicae utilitatis erant, vel qui vitam contemplativam sequebantur, monasteria visitationi ac inspectioni praefectorum civitatum subjecerunt, et tandem illa suppresserunt, unde monachi coenobia sua iterum relinquere coacti sunt usque ad annum 1863, quo ad illa regredi eis concessum est.<sup>4)</sup>

Verumtamen in tantis reipublicae perturbationibus religiosa disciplina multa detrimenta passa est et non omnes monachi professioni suae debitam fidelitatem servarunt. Quapropter capitula congregationis, annis 1823 et 1832 collecta, pro viribus adlaborarunt, ut disciplinam in monasteriis ad pristinum statum redigerent,

<sup>1)</sup> Const. »Inter graviorese«, IV idus Maji 1804

<sup>2)</sup> Lafuente, op. cit. VI, 182. Aguilar, »Compendio de Hist. eccles. general« ed. Matrili 1898, pag. 380.

<sup>3)</sup> Lafuente, op. cit. VI, 187; Aguilar, op. cit. II, 382.

<sup>4)</sup> Lafuente, VI, 199; Aguilar, II, pag. 393.

stricteque praeceperunt, ut Sta. Regula et constitutiones congregationis ad amissim observarentur, super quo abbatum et seniorum concientiam onerabant; novaeque leges pro temporum rerumque adjunctis in iisdem capitulis latae sunt. Ipse quoque abbas generalis anno 1832 electus, epistula ad omnes superiores subditosque congregationis directa, illós vehementer hortabatur ad omnia praedicta fideliter adimplenda.

Brevi autem bello civili exorto totaque Hispania in anarchiae statum demersa, impium gubernium horribilia, quae adhuc luit natio, crimina commisit. Nimis nota est religiosorum internecio, quae diversis locis ac temporibus contigit: nescimus tamen an monachi nostri in hisce adjunctis perierint; ceterum decreto gubernii 11 Octobris 1836 omnes a suis coenobiis ejecti sunt, Vallisoletanis ac Montisserratensibus tantum exceptis, qui tamen anno sequenti, die 29 Julii, simili sorte comprehensi sunt, et ex eo tempore ordo Benedictinus tantopere de Hispania bene meritis, officiose extinctus est.<sup>1)</sup>

Monachi jam extra monasteria constituti diversimode sibi consulere. Plures patrium solum eis infensum relinquentes, alium locum, ut Deo liberius servirent, quaesiere, et nonnulli Cassinensibus adjuncti sunt. Plurimi sacerdotio insigniti, qui monasteriorum suorum prioratus et ecclesias administrabant, ab ordinariis locorum in eis stabiliti sunt. Aliqui pro vita et doctrina qua fulgebant in cathedralibus capitulis locum tenere; nonnulli postea ad episcopatum evecti, summo religionis et patriae profectu munus suum strenuissime obiere. Ceterorum vero plerique ad propria redire coacti, meliora tempora expectantes, vix quidem pauci illa adipisci valere.

Monasteriis, quae ad congregationem hanc pertinere, diversa sors obtigit. Alanza, Sahagun, S. Claudius, Obarenes (?) etc. penitus destructa sunt; Montforte, Ribas del Sil, Lorenzana, Tenorio, Obóna, Corneliana, Villanueva, Bages etc. derelicta manent; monasterium Sti. Joannis de Burgos in carcerem, S. Vincentii Oveti in praetorium; S. Martinus Compostellae pro seminario inservit. Caradignam, Cellam novam, Hirache postea occuparunt PP. Scholarum Piarum; Oña et Carrion Jesuitae; Corias Dominicani; Poyo Mercedarii; Vallisoletum Carmelitae; Najaram Franciscani; et Stum. Aemilianum Augustiniani. Quattuor tantum a benedictinis hodie inhabitantur, Montserrat, Valvanera, Silos, Samos, in quae aliqui veterum monachorum in fine vitae se receperunt.

Non defuit, qui fragmenta hinc et illinc sparsa colligere sata-

---

<sup>1)</sup> Ex tabulis quae affert Lafuente, Congregatio Hispano benedictina, anno 1835 constabat 44 Monasteriis cum 1510 monachis, VI, 463.

gerit, ut congregationem Vallisoletanum, si fieri posset, resuscitaret. Quod praecipue tentavit venerabilis senex D. Gaspar de Villaroel, monachus Cellanova, qui spretis multis proventibus et dignitatibus, ipso etiam episcopatu Abulensi ei oblato, monasterium Samonense cum aliquot sociis ejusdem congregationis a ruinis vindicavit et in id se recepit. Sed cum eventus spei non responderet, audiens progressus regularitatemque monachorum Cassinensium a primaeva observantia, qui in monasteriis Montisserrati et Vallisvenariae aliisque noviter conditis florebant, ipsis se adungere consultius putavit, perfecitque an. 1893, sicque praeclara congregatio Hispano-benedictina in provinciam praefatae congregationis Cassinensis conversa, existere desiit, sed in haeredibus adhuc perseverat.

(Continuatio sequitur.)

## Die Entstehungsgeschichte des Offiziums der heiligen Karwoche in der römischen u. monastischen Liturgie.

Dargestellt von Karl Ott, Justizreferendar, Ulm a./D.

(Schluß zu Heft I—II. 1904, S. 173—181.)

### II. Stilistische Eigentümlichkeiten.

1. In den Meßoffizien wurden, wie es scheint, besonders die Kommunion-Antiphonen dazu ausersehen, die Stimmung des leidenden Messias in lebhaften Farben zu zeichnen. Am Freitag vor dem Passionssonntag taucht eine Neuerung im Meßoffizium auf, welche in allen folgenden fortgesetzt wird und dem Ganzen seinen charakteristischen Stempel aufdrückt. Zum ersten Male nämlich erscheint hier die Klage des Messias in dem dreimal wiederholten, nachdrücklich hervorgehobenen, deiktischen „me“<sup>1)</sup> Bereits das erste „me“ erhebt sich nach der geschmeidigen Intonation zur Dominante (D); mit großer Wucht, in rasch bewegtem, kühnem Quintenschritt, steigt dann die Melodie bei „animas“ in die Höhe und jammert in dem zweimal in derselben melismatischen Konfiguration wiederkehrenden, emphatischen „me“

<sup>1)</sup> Zwar enthält schon das Off »Eripe me« am Mittwoch zuvor Anklänge, allein die organische Füllung dieser reichen Melodie kehrt das »me« nicht mit derselben Prägnanz hervor, wie die nachherwähnten Meßeinlagen. — Der Leser wird uns Dank wissen für die nachfolgende ästhetische Würdigung alter Melodik, die bisher noch ziemlich vernachlässigt ist. Selbst bei den spätmittelalterlichen Schriftstellern finden sich oft wunderliche Anschauungen, so meint Rupert von Deutz (de off. l. I, c. 34): Graduale ad poenitentiae respicit lamentum, cantus asper [! ?] et gravis adeo, ut illud excellentibus efferre vocibus nec usus nec decus sit. u. Durandus, Radulph von Tungern folgend, charakterisiert das Offertorium also: Clamorem eius parturientis [patientis?] vel salubrem Domini cruciatum imitatur offerenda per suum gravem et grandisonum tonum, quae distenta et versibus foecundata, quantumvis longa iubilatione, quod significat, non satis exprimeres valet. Bei Gerbert l. c. I, 434.